



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Synodvs Nicæna II. Generalis. Sub Hadriano papa I. anno DCCLXXXVII.

Parisiis, 1644

Tituli designantes in breui quae in hoc codice continentur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15473

latera surrexisti ; lumbos accinxisti , lucernam accendisti , zelo Dei comederis . superest tantum , vt fidem quam credis , doceas : viam quam tenes , cunctis ostendas . Quatenus Deo auctore , te filio excusorum , prophetarum scilicet & apostolorum , ductore , per inuia nos omnes Christi oues solertia tuae per Petrum & in petra commissa , inoffensis gressibus incedamus , & ad amœna vita perennis pascua Christo aperiente , qui claves regni in ipso & per ipsum tibi tradidit , feliciter ingredi mereamur . Apostolatum vestrum ad exaltationem ecclesiæ suæ , ac communem nostrum salutem , per multos annos gratia superna custodiat , domine sanctissime papa .

Tituli designantes in breui quæ in hoc codice continentur .

PRIMA actio continet testimonia diuersarum probabilium scripturarum , quibus ostenditur haereticos ab haeresi ad orthodoxam fidem conuersos posse suscipi . Similiter & eos , qui cum fuerint sintve orthodoxi , manus tamen impositionem ab haereticis habuerunt .

Secunda vero continet actio lectionem epistolarum Hadriani papæ Romani , & secundum tenorem earum cunctorum sacerdotum qui interfuerunt Synodo , professionem & promulgationem .

Tertia autem actio continet receptionem antistitium ab haeresi conuersorum , & synodica Tarasii patriarchæ , & rescripta orientalium sacerdotum , nec non & subscriptiones episcoporum , Hadriani papæ ac orientalium pontificum scripta approbantium , & ita se sapere profidentium .

Quarta dehinc actio circumfert testimonia sacrae scripturæ ac diuersorum sanctorum patrum pro imaginibus .

Quinta præterea continet actio testimonia ostendentia , Iconomachos æqualia super imaginibus reprobis quibusque operari vel sapere haereticis .

Sexta vero designat actio haereticorum blasphemias , & harum validam destructionem .

Septima porro circumfert actio terminum sanctæ Synodi huius , subscriptiones episcoporum , epistolam Synodi imperatoribus missam . Item aliam ad clerum Constan-

ANNO CHRISTI 787. tinopolitanum ; sermonem laudatorium , & Canones ab eadem Synodo promulgatos. Item epistolam Tarasii sanctissimi patriarchæ ad Hadrianum summum pontificem pro Synodo . Item eiusdem ad eumdem de non ordinandis ecclesiasticis officiis per pecunias. Item eiusdem ad Ioannem presbyterum , hegumenum & anachoretam , pro eadem re.

Diualis sacra directa a Constantino & Irene Augustis ad sanctissimum & beatissimum Hadrianum papam senioris Romæ.

Qvia Domino nostro Iesu Christo vero Deo nostro suscipiunt siue imperii dignitatem, siue principalis sacerdotii honorem, debent quæ illi placita sunt , & cogitare & curare, & creditos sibi ab illo populos secundū eius voluntatem regere & gubernare. Ergo debitum nobis & vobis, o sanctissimum caput, hoc est , vt irreprehensibiliter quæ eius sunt sapiamus , & in suis versemur , vt pote ab ipso nos quidem imperium , vos vero principalis sacerdotii dignitatem suscipientes. Incipimus ergo hinc sermonē. Scit vestra paterna beatitudo quæ pridem facta sunt in hac nostra regia ciuitate propter venerabiles imagines; qualiter qui ante nos regnauerunt, eas destruxerunt, & in dehonestatatem atque iniuriam posuerunt : (vtinam illis non impunitetur; melius enim fuerat non mittere manus suas in ecclesiam:) & omnem populum qui hic est, imo orientalem eodem modo seduxerunt, & in propriam voluntatem retraxerunt : vsquequo Deus suscitauit nos regnare in his , qui in veritate querimus gloriam eius , & tenere quæ tradita sunt ab apostolis suis & omnibus simul doctoribus. Vnde nunc constanter cum mundo corde & vero cultu , quæ ad Deum pertinent , vna cum omnibus subditis nostris , & his sacerdotibus doctissimis , locuti sumus , & cum confilio decreuimus , vt fieret vniuersale Concilium. Etrogamus vestram paternam beatitudinem ; imo vero Dominus Deus rogat, qui vult omnes saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire ; vt det seipsum , & nullam tarditatem faciat , & ascendat huc in stabilitatem & firmitatem antiquæ traditionis super venerabilibus imaginibus . debitum enim illi est hoc facere ; agnoscit vero quia scriptum est:

I. Tim. 1.